



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Bonifacii Papae VIII. Vvlgō IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

dentia papæ VII. anno 10. & a natuitate Domini 1388.
Istæ constitutiones fuerunt publice denuntiatæ in ecclesia
fratrum Minorum Palentinorum die 4. mensis Octobris,
anno a natuitate Domini 1388. indictione II. pontificatus
sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Cle-
mentis diuina prouidentia papæ VII. anno decimo , præ-
sentibus rege , archiepiscopo Compostellano , Ouentensi,
Legionensi , Calagurritano , Palentino & Zamorensi epi-
scopis, & cleri & populi multitudine copiosa.

ANNO
CHRISTI
1388.

VITA
BONIFACII PAPÆ VIII.
VV L G O IX.

ANNO
CHRISTI
1389.

BONIFACIUS huius nominis iuxta vulgi opinionem
IX. Petrus antea vocatus , natione Neapolitanus , ex
illusterrima Tomacellorum familia oriundus , commu-
nibus omnium suffragiis anno ætatis suæ 45. vt probabi-
lius obseruauit Panuinius , quam Platina, ad pontificatum
ascitus est 1 v. Nonas Nouembbris , anno 1389. tempore
Vvenceslai imperatoris. Omnem populi Romani guber-
nandi rationem soli papæ reseruauit. Clemente antipa-
pa mortuo , cardinales schismatici Petrum quemdam de
Luna in eius locum suffecerunt , & Benedicti XIII: no-
men imposuerunt. Perusii inter nobiles & populum ma-
gna suborta est discordia , ad quam extinguedam pon-
tifex eo se contulit : sed vel parum vel nihil effecit. Nam
populus furore percitus , 80. plus minus nobiles crudeli-
ter occidit. Hac iniuria Bonifacius se læsum sentiens , Af-
fisium concessit , & per legatos Galeatio duci persuasit ,
vt Mantuam obsidione solueret. Iubilei anno appropin-
quante , Romani suis precibus apud pontificem instite-
runt, vt ad Vrbem reuerteretur. Quod vt facilius impetra-
rent, Banderesios destituerunt , eorumque loco Malate-
stam Pisauriensis domini filium senatorem delegerunt.
Ad Vrbem pontifex reuersus , arcem sancti Angeli muni-
uit, moeniaque & turres restituit , & sic paulatim domina-
tu Vrbis potitus est. Annus Iubilei 1400. cum incredibili

hominum affluentia celebratus est. Paulo ante Romam venerat presbyter quidam cum certo hominum numero quos Blanchos vocabant: quem tamquam hæreticum exuri mandauit. Annatarum imponendarum primus auctor fuit: ex quibus cum ærario ecclesiæ plurimum acceserit, bellique contra infideles suscipiendi expeditio promota fuerit, non citra temeritatem Theodoricus a Niem simoniae auaritiæque crimina pontifici optimo impingit. In regnum paternum restituit Ladislaum, priuatione qua Carolus exutus erat, plane annullata. Anno Domini 1405. ipsis Kalendis Octobris morbo calculi afflicctus, ex hoc mundo migravit, ac in sancto Petro sepultus est, cum pontificatum 14. annis & 9. mensibus administrasset. Parentibus quos sècum habebat, nimium indulgens, aliquantulam forfasse reprehensionem meruit.

V I T A INNOCENTII PAPÆ VII.

ANNO
CHRISTI
1405.

INNOCENTIVS VII. Sulmone, ut ait Theodoricus, in Apulia honestæ & mediocris fortunæ parentibus natus, bonarum literarum, iuris canonici, & Romanæ curiæ peritissimus, vir mitis, bonus & pacificus, doctorum summus amator & fautor, ex Bononienfi episcopo & cardinale sanctæ crucis in Ierusalem 16. Kalendas Nouembbris, anno Domini 1405. tempore Roberti imperatoris electus est pontifex sub ista conditione, ut pro necessitate componendi schismatis quoquis tempore pontificatum resignaret. Nam ante electionem omnes cardinales, Gobellino & Theodorico attestantibus, coram pluribus notariis & testibus solennibus compromiserunt, & compromissum seruare iurauerunt, quod ipsi singuli & communiter, & si quis eorum forte in papam eligeretur, vellet omnem diligentiam quam posset adhibere, quod unitas ecclesiæ reformaretur, etiam si opus esset ad hoc renuntiare papatu, &c. dum tamen Petrus de Luna etiam suo papatu sponte cedere vellet. Stetit promissis pontifex optimus. Conciliū generale ipsis Kalendis Nouembbris Romæ celebrandum indixit: sed Romanorum seditione per Gibellinos